



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivsti Lipsi[i] Sapientiae Et Litterarvm Antistitis Fama  
Postvma**

**Lipsius, Justus**

**Antverpiae, 1629**

Doctrina, Virtvte, Pietate Viris Admodvm Reverendis, Gerardo Lippio,  
Ioanni Hasio, Nicolao Stein, Collegii Societatis Iesv Apvd  
MenapiosTheologis Eximiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70662)

DOCTRINA, VIRTUTE, PIETATE  
 VIRIS ADMODUM REVERENDIS,  
 GERARDO LIPPPIO,  
 IOANNI HASIO,  
 NICOLAO STEIN,  
 COLLEGII SOCIETATIS IESV  
 APVD MENAPIOS  
 THEOLOGIS EXIMIIS.

**N**ON diu, nec ancipiti consi-  
 lij lance deliberandum mi-  
 hi fuit, R<sup>DI</sup> PATRES, cui opel-  
 lam hanc inscriberem; vo-  
 bis deferendam putavi, vo-  
 bis deberi: sacram paginam,  
 viris DEO sacratis; rem Religionis, Patribus  
 religiosis; imò gemmis splendentibus, me-  
 lius aliquod aurum. LIPSIUS est, quem vo-  
 bis sisto, quem protego;

*Non tam certandi studio, quàm propter amorem.*  
 Illum impietatis & impuritatis insimulatum  
 purgavi: non lustralibus aquis aut Oceani  
 fluctibus, sed puris putis vndis ab ipso fon-  
 te, id est Auctore, desumptis. Scutum & de-  
 fensionem suscepi, vt pristinae innocentiae  
 restituum; probis, & si fieri potest, etiam alijs  
 M m                      appro-

approbem. sin minùs, istos contemnam. Satis triumphat Veritas, si apud paucos bonos-  
 que accepta; nec in dolis eius est placere mul-  
 tis. \* Τυφλὸν ἔχει ἤτερ ὄμιλον ἀνδρῶν ὁ πλεῖστος, ait Pin-  
 darus. magis autem αἰρετικῶν. Quos cum Pha-  
 raone obduratos in malitia & Caucaaso ab-  
 ruptiores hodierna docet experientia. Quis  
 innocentior & sine labe purior, Virtute &  
 Modestia præclarior inter sæculares hoc ævo  
 vixit, quàm hic noster? Appello vos Patres,  
 qui interiora eius nouistis, contra fidem Ca-  
 tholicam

\* cacum cor  
 habet ple-  
 ras, homi-  
 nū turba.

*Quid dixit? aut quid tacuit? ò rebus bonis  
 Non infideles arbitri!*

Sed vita & scripta etiam clamant, & diluci-  
 dè satis ostendunt. Vt omnibus notum &  
 perspicuum esse liceat, nisi aures obturaue-  
 rint, & lolo fors victitauerint, vt oculi fal-  
 lant in adspectu. Et tamen quis non illum  
 culpataut damnat ex istis? In ludis olim &  
 arenâ obseruatum fuit, tauros purpurâ &  
 rubore maximè concitari, qui tamen pul-  
 cherrimi sunt colorum: simile in hæreticis li-  
 cet dicamus, quorum virus prouocat ipsa  
 Virtus. Exemplo est SOCIETAS vestra, &  
 singuli è toto corpore Patres; in quos velut  
 de compacto omnes incurrunt, tamquam

—*Epicuri de grege porci.*

Et

Et qui de humano genere meliùs hoc æuo meruerunt? Testatur hic & alter Orbis, maiora hominibus commoda post homines natos ex nullo ferè Ordine promanasse. Alios ad frugem præitis aut deducitis, alios à vitiis retrahitis, aut illa appetentes retardatis; nihil gratiæ, nihil metui datis, omnia ad iusti normam dirigitis. In Indiis autem quot millia hominum ab idolorum cultu in viam salutis, feruore & labore cum molestiis manu duxistis! morte & martyrio de nouo per CHRISTVM mercati estis! Sicut Solem illum, cùm ortus est, videmus

*Conuestire suâ perfundentem omnia luce,*  
conuestire, sed & demulcere: idem hîc dixerim, fulgorem vestrarum Virtutum honestiores quasque animas peruadere & persuadere, degeneres sanare. Hæc publicè; quid priuatim? Puram & immaculatam vitam agitis, & cælestem in terris; super humana vitia & animorum turbines, in Pietatis, amoris Dei ac proximi, Virtutumque arce sublimes,

— *velut altus Olympi*

*Vertex, qui spatio ventos nubescq; reliquit.*

Vt non immeritò multi, quibus altius aliquod ingenium, vobis accenseri ambient; omnes boni benè velint, & vestras

Mm 2

— VIR—

—VIRTUTES *in animum**Per* TITVLOS, *memoresq;* FASTOS*Aeternent.*

Sed ego laudare desistam: quia, vt Poëta cecinit,

*Fucati sermonis opem mens conscia laudis**Abnuat.*

Vna ac verissima hæc SOCIETATIS laus est, ex vero non posse laudari: altera, non velle. Ad me & munus meum redeo: quorum vtrumque vobis confecro. istud tale, quale bonorum fauor & amor fecerit: me, candidatum melioris & vestri amantissimum. Vsi piopoli iv. Idus Iunias Anni à partu Virginis salutifero CIO. IO C. X.

*Arnoldus à Boecop.*

A COELO PROBANDVS.

LECTO.